

1510 cunt. Oppido obsidione liberato , milites Hispani & Germani , in eo qui erant , octingenti in Pantænæ vallis urbi proximæ incolas , propterea quod amice nostros omnibus rebus juverant , eam injuriam vindicatum egressi se inferebant . qua intellecta re equites trecenti , Joanne Græco duce , ad illos sustinendos propere a legatis missi , eos omnes fuderunt , fugatos usque ad montis Feliciani cacumen inseguuti partem interfecerunt , partem captivos abduxerunt circiter ducentos .

In Ligustico vero mari iisdem fere diebus non longe ab Genua classis Julii & reipublicæ triremium **XV.** clas-  
sisque Gallica magnarum navium & triremium **XXV.** propiores factæ , atque in suas utræque acies conspectis hostibus distributæ , cum ejaculandis tormentorum pilis durum horarum spatio se laceſſere perseveravissent , coorto vento abductæ in diversa abierunt : & quod oppidum magnæ Gallorum introductæ copiæ tutissimum reddiderant , Contarenus omni commeatu consumpto infectis rebus Populoniam rediit : triremesque duæ nothæ ab Senatu e Corcyra ad Contarenum missæ , cum ejus se classe conjunixerunt . tum quæ naviculæ urbanæ in Julii gratiam Pado subiectæ Alfonsi ab ejus exercitu alio ab latere vapulantis damna atque molestias adaugebant , earum partem Alfonſus ipſe , cum equitibus Gallis Italique sexcentis , militibus duobus millibus trajecto repente flumine , vacuam hominibus ( fugæ enim ſe ſe dederant ) cepit : reliquas ipſi Veneti , ne hostes illis potirentur , incenderant . Atrianos etiam itemque Rhodigianos reliqua-  
que eorum locorum municipia fugatis magistratibus recepit . Leonardus Apulus cæterique equites elufis locorum cognitione & celeritate ſua hostibus , Montanianum ſe contulerunt . Senatus nonnihil ab Alfonſo , quem ipſa hoſtium vel fortuna vel indiligentia tuebatur , atque ab Gallis metuens , legatis collaudatis , quod Verona exercitum abduxiffent , uti tormenta Patavium mitterent , imperavit . Jamque in Leonicænos ſe exercitus receperat , cum intellecta propter Alfonſi prosperas res Leonardi Apuli & re-  
liquo-

*Padana  
classis amittitur*